



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. VI. Solvuntur Objectiones contra assertam impotentiam peccandi, &
errandi in Beatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

communi acceptione tantum sunt tres. Prima Martyrum, qui vicere mundum, ejusque tyrannidem, contemptu, & tolerantia mortis. Secunda Virginum, quae vicere carnem, abstinentia, non tantum ab illicitis, sed etiam a licitis, intra matrimonium, carnis voluptatibus. Tertia Doctorum, non a gradu, sed a doctrina, quae alios erudierunt ad justitiam, atque demonem expulerunt, ex infidelium praecipue cordibus.

129. Interim alii Sancti, qui carent his aureolis, non invident eam habentibus, sicut nec minus Beati, seu minorem habentes visionem, invident habentibus majorem, vel clariorem; quia non exigunt majorem, quam exigit gratia, quam habent: & explicatur res exemplo vestimenti, aut cibi; neque enim infans invidet adulto vestem majorem, aut etiam copiosorem cibum, qui ipsi non quadraret. Addit, & valde bene, *Ulla disp. 5. de Deo c. 2. n. 11.* quod Beati ardentissime DEUM propter se ipsum ament, & quidem incomparabiliter plus, quam seipsum, ejusque admirentur providentiam, atque huic se plenissime subdant: unde, cum videant, DEUM ita praedestinationis seriem disposuisse, ut ipsis minor beatitudo contingat, malunt ex hypothesi Divinae voluntatis, ita rem ordinantis, hanc suam beatitudinem, quam aliam quamlibet. Accedit intima unio charitatis, quae inter se Beati omnes archissime junguntur.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones contra assertam impotentiam peccandi, & errandi in Beatis.

130. **O**B. 1. *Jobi 4. v. 18.* dicitur: *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem:* ergo Angeli potuerunt peccare, consequenter etiam possunt Beati. Confir. S. Thomas 1. 2. q. 10. a. 2. in corp. docet, quod voluntas moveatur dupliciter, vel quoad exercitium actus, vel quoad speciem: & addit: *Primo ergo modo voluntas a nullo objecto ex necessitate movetur.* Item q. 22. de veritate a. 6. in corp. ait: *inest libertas voluntati in quolibet statu naturae respectu cujuslibet objecti:* ergo voluntas in quovis statu, etiam naturae beatae, non necessitatur ad DEUM amandum, sed potest ab eo averti per peccatum.

131. Resp. neg. conseq. Textus ille juxta S. Hieronymum in cap. 24. *Isaie*, & S. Gregorium 1. 5. moral. c. 28. exponi debet de Angelis malis. Ad confirm. neg. conseq. S. Doctor utroque loco loquitur de objectis distinctis a beatitudine, seu ultimo fine; nam hunc expressè excipit. Primo loco sic inferius ait: *Illud solum bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo.* Altero loco prius sic

habet: *Voluntas de necessitate appetit finem ultimum, ut non possit ipsum non appetere, sed non de necessitate appetit aliquid eorum, quae sunt ad finem.* Clare autem nobis consentit in opusculo, quod vocatur *Compendium Theologiae* c. 166. ubi ait, quod anima, vel alia creatura, videns DEUM, sit confirmata in bono, & quod voluntas videns DEUM, in ipso, tanquam universali bono, debeat quiescere: nec possit aliquid voluntatem a DEO divertere, eo quod non possit inveniri bonum in alio ente, quod non etiam continetur in DEO.

132. Ob. 2. Libertas est voluntati essentialis: ergo non potest tolli per beatitudinem. Confirm. Actus charitatis in via non tollit potestatem peccandi: ergo nec actus charitatis in patria: prob. conseq. isti actus procedunt ab eodem habitu, & major, vel minor intensio, qua sola differunt, non mutat speciem: ergo. Resp. dist. antec. Est essentialis voluntati libertas inadaequata. conc. antec. libertas adaequata. neg. antec. & sub eadem distinctione, conc. vel neg. conseq. Libertas tota non est sola voluntas, sed totus actus primus, expeditus ad utrumque: at beatitudo est impedimentum inauferibile, simulque impossibile cum judicio indifferente, sine quo non potest dari libertas.

Ad confirm. neg. conseq. ad prob. conc. T. p. antec. At secunda, ut rectè observat *Ulla disp. 5. de Deo c. 2. n. 17.* non est semper vera; nam intensio non orta ex additione gradus similis ad alterum gradum, sed consistens in perfectione indivisibili, mutat, strictè loquendo, speciem: cerè Philosophi communissime admittunt, quod, si gradus intensificationis sint heterogenei, specie differant. Sed quidquid de hoc sit, an actus charitatis in via, & in patria, specie differant, non est opus decidere. vide n. 72. Si etiam non ita differant, tamen neg. conseq. quavis enim actus charitatis patriae producatur ab eodem habitu, non producitur in iisdem circumstantiis, nec eadem intensione; unde facile potest capi, cum in patria habere vim majorem attrahendi, quam habeat voluntas se retrahendi, quam vim non habet in via.

133. Ob. 3. Potest DEUS praecipere aliquid Beato, etiam sub gravi, & negare gratiam efficacem: atqui sic peccabit: ergo. Confirm. Beati non utuntur habitibus ex necessitate: ergo possunt non amare DEUM, consequenter peccare. Resp. neg. maj. quamcumque enim gratiam DEUS dederit in circumstantiis beatitudinis, illa erit efficax, & non quidem liberè, sed necessario, post se trahet effectum; quia statim clara visione, & amore DEI, Beatus non potest non implere omnem voluntatem DEI. Quod si tamen praeceptum esset pro libitu Beati dispensabile, vel impedibile, posset quidem Beatus illud non implere, non autem posset peccare; quia deberet prius, ante omissionem operis, praeceptum impedire, vel obtinere ejus dispensationem. Addo, si etiam dispensatio haberi non posset, tamen Beatum fore liberum, non quidem quoad substantiam effectus, sed quoad modum, ut ex hoc, vel illo motivo &c. praeceptum impleat, nisi tamen iterum ponatur ipse modus

modus quoque præceptus, & quidem indispen-
sabiliter; tunc enim nulla daretur libertas. Ad
confir. neg. antec. saltem intellectum de habiti-
bus charitatis, & luminis gloriæ: non tamen
propterea Beati uiuntur illis habitibus inuiti, aut
coacti, sed spontaneitate necessaria.

134. Ob. 4. Potest DEUS actu peccanti
pro posteriori naturæ conferre visionem beati-
ficam: ergo potest Beatus peccare. prob. an-
tec. potest DEUS sic decernere: *Et si videam te
peccare, volo tamen conferre tibi visionem beati-
ficam*: sed sic actu peccanti pro posteriori con-
ferret visionem: ergo. prob. ma. si hoc non
posset, tunc ideo; quia visio est necessitas non
peccandi: sed, vel non est talis necessitas, vel,
si est necessitas, non est nisi pro signo posteriori,
in quo existit: ergo potest DEUS ita decerne-
re, & consequenter Beatus potest peccare, non
quidem in signo posteriori, in quo est visio, sed
in priori.

135. Resp. neg. antec. ad prob. neg. maj.
ad prob. omitt. ma. neg. mi. Potest qui-
dem DEUS decernere collationem visionis illi,
quem videt aliàs peccatum, & sic peccatum
impedire: sed non potest decernere collationem
visionis actu peccanti; quia ista sunt incompos-
sibilia. Negata etiam min. est falsa; quia visio est
necessitas non peccandi pro toto instanti, pro
quo existit; quia hoc indivisibile est. Adde, quod
hoc argumentum nimis probaret; nam pro-
baret, quod nulla forma sit alteri essentialiter op-
posita, adeoque simul in eodem intellectu pos-
sint stare assensus, & dissensus, circa idem obje-
ctum: volitio, & nolitio efficax ejusdem rei:
prædeterminatio, & actus liber &c. nam eodem
modo dicam, DEUM posse sic decernere: *Et si
videam, te dissentire, volo tibi pro posteriori infun-
dere assensum. Et si videam, te efficaciter nolle, vo-
lo tibi pro posteriori infundere volitionem*; nam
eodem modo dici poterit, quod dissensus tan-
tū excludat assensum pro eodem signo, non
pro instanti totaliter sumpto &c. quæ utique
sunt contra omnium opinionem. Hinc falsum
est, quod aliquid alteri essentialiter oppositum,
excludat illud tantū pro signo priori, vel po-
steriori; nam debet pro toto instanti exclude-
re, seu pro utroque, vel omnibus signis ejus-
dem instantis; quia instans non est divisibile:
nec signa naturæ sunt partes ejusdem, sed tan-
tū indicia causalitatis, & dependentiæ: unde,
si aliqua forma alteri essentialiter est opposita,
tunc nec potest esse causa, nec effectus istius;
imò omnino non potest, physicè ei coexistere.
vide etiam dicta. n. 162. de act. hum.

136. Alia esset questio, an DEUS pecca-
tori habituali absolutè posset conferre visionem,
vel etiam amorem beatificum, & tamen non
remittere peccatum, prius patratum. Quod si
etiam DEUS id posset, tamen nostræ conclusio-
ni non obesset; quia talis peccator, stante visione,
novum peccatum committere non posset. Si
autem visio postea iterum cessaret, beatitudo non
fuisset ex dictis n. 80. unde Beatus semper manet

impeccabilis. Sed utramque questionem, an scili-
cet peccatori visio infundi, & an visio beati-
fica semel habita cessare possit, non est hujus
loci decidere. Certè ob peccatum subsequens
cessare non posset. Ex libera voluntate DEI
sola etiam difficulter videtur posse cessare; *Sine
penitentia enim* (ut ait Apostolus ad Rom. ii. v.
29.) sunt dona, & vocatio DEI, hoc est, absque
revocatione, nisi ob culpam. Videbitur fortè
etiam alicui, DEUM dedecere, hominem absque
culpa spoliare tantis bonis. Pariter, an DEUS
ob peccatum antecedens, necdum, ut ponitur,
remissum, hominem iterum spoliare possit vi-
sione, dependet ex questione illa, an collatio vi-
sionis possit stare cum habituali peccato, seu
inimicitia DEI, & reatu ad odium, ac poenam
æternam: an verò sit formalis essentialis remissio
peccati, ut multi affirmant. At, quia hæc quæ-
stio connexionem habet cum illa alia, an gratia
sanctificans possit de absoluta potentia stare cum
peccato, quæ examinanda est in tract. de Gratia;
etiam hujus decisio facillè potest illuc differri.

137. Ob. 5. Beatitudo, ut dictum est n.
166. est composibilis cum malis physicis, dolo-
re, tristitia &c. ergo etiam cum peccato. Con-
firm. 1. Saltem error, vel ignorantia inculpabi-
lis, non est malum morale: ergo potest stare
cum beatitudine. Confir. 2. Beati juxta nos
cognoscunt multa probabilia: ergo possunt ha-
bere cognitiones probabiles, adeoque fallibiles.
Resp. neg. conseq. Malum morale est dedecens
statum Beati; quia est macula, & turpitudine dif-
formis rectæ rationi: non ita malum purè phy-
sicum pro aliquo tempore, ut ibi dictum. Nec
dicas: si non dedecet pro aliquo tempore, ne-
que dedecet pro omni; nam resp. etsi non de-
deceret parientem, dedecet inferentem, vel DE-
UM beatificantem, & non tollentem ab amico
miseriam, inutilem ad lucrum ulterius, simul-
que privantem magna beatitudine acciden-
tali.

138. Ad 1. confir. dist. antec. error, vel
ignorantia, non est malum morale, hoc est, cul-
pabile, & peccaminosum. conc. antec. non est
malum morale objectivum, sive objectum dif-
forme rationali appetitui, & dedecens statum
plenissimæ beatitudinis. neg. antec. & conseq.
Non autem ita dedecet mala purè physica, e.g.
dolor, & tormenta; quia agere, & pati fortia, per
se nullatenus dedecet naturam rationalem, nec
ista per se aversatur semper appetitus rationalis.
Ad 2. confirm. neg. conseq. nam cognitiones
nostras probabiles cognoscunt Beati certissimè, &
non tantum probabiliter: sicut nostras cognitio-
nes falsas cognoscunt verissimè, esse tales: aliud
enim est, cognoscere probabile, aliud probabi-
liter: illud appellat super objectum, istud super
modum cognoscendi. Unde potest etiam dist.
ant. Beati cognoscunt probabilia probabiliter:
neg. ant. cognoscunt ea certò, hoc est, cognos-
cunt certò, esse probabilia. conc. ant. &
neg. conf.